


NVMMVS ICONICI AC TRIVMPHALES:
SPECTANTES AD HISTORIAM

susceptæ executionis contra S. Rom. Imperij rebel-
les: captam urbem Gotham: cusi

Anno Christi 1567.



Ocnamque Anno Germania bellum habuit, suscep-
tum decreto & gestum sumptibus communibus
omnium ordinum Imperij, adversus Grumbachia-
næ conjurationis duces, ac horum Receptatores:
Duce Illustrissimo Principe Electore Saxonie Au-
gusto. Historiâ proluxa in epitomen contractâ, res
ferè ita se habet, Guilhelmus Grûbachius (cujus hic
Imaginem exhibemus) è nobili quidem stirpe Ori-
entalis Franciæ natus: sed à verâ generosi animi no-
bilitate alienus, & factiosis consilijs deditus, Vassallus erat Antistitis Wür-
ceburgensis Melchioris Zobelij.



Hic offensus Grumbachio cum ob causas alias, tum quod Alberto Bran-
deburgico militasset, factumque colore, nescio quo, palliare conaretur,
Feudo cum privat. Intercedit exiguum temporis intervallum, quo Zo-
belius, ex urbe Herbipoli in arcem, per Manipontem, ascensurus, aliquot
sclopetorum ictibus insidiosè necatur: magnâ Grumbachium suspitione
premente, quasi is cædihujus author caputque fuisset. Reus scripto sese
purgat, injurias prætendens, quibus ab Episcopo afficiatur: magnam si-
mul ex ordine Equestri sibi manum comparat, ad rem bello etiam, si opus
foret, decernendam, Quin ad præsidium nobilitatis adjungit Patrocinium
Principum, gratiâ, authoritate, affinitatibus potentium: præferens cæteris
Ducem Saxonie Iohannem Fridericum Secundum: quem penes, causæ
maritis immensum ex aggeratis, eò facilius sese insinuat, quo facilius illu-
stres personæ ex animi sui candore, æstimare alios consueverunt.